

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Bibliotheca Smithiana, Seu Catalogus Librorum D. Josephi  
Smithii Angli Per Cognomina Authorum Dispositus**

**Pasquali, Giovanni Battista**

**Venetiis, 1755**

Alcinoi Epitome Disciplinarum Platonis.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-844**

simi oraculi vice colant, obseruent & prædicent. Prodeant ex gurgustiiis, si satis sibi nondum videntur prævaricatione præterita delirasse, Daretis novi; aderunt Entelli ad pugnandum, non præcipites illi quidem, sed iusta indignatione provocati. Prodeant Therisitæ & Achilles aderunt, vincendi fiducia & divinis armis instructi. Prodeant Marfyæ & Apollines provocent, ut Musis arbitris ac iudicibus diffuant excoriati, non in nostri orbis fontes, sed in cocytos infernos, lethæas voragines, atque ætuosos Phlegetontes. Daveniam, Pater beatissime, contra fabulosos & lucifugas hosce fabulis utenti. Nam si relipiscent, quod equidem opto, palinodias commodum per plateas decantabunt, neque id solum, sed per & compita scriptas affigent, ut facti cæci parte sui meliore luminis exiguum, lucisque recuperent. Quæ enim, malum, fuit stultitia, immo quæ tanta infania, quis stupor, pulvere ac calce Solem niti, ac contendere obtenebrare, ut in altum sublatus pulvis in jaculatorum ipsorum oculos recidens lucem omnem eis eriperet? Quod profecto iis accidit, quicumque platonicum Solem sese temere obscuraturos crediderunt. Nos tamen non de miseris triumphum optantes, christianisque & Platonis simul radiis & humanitate illustrati, cæcos istos miserati, demus errantibus & stupidis, & nihil cernentibus, nihil intelligentibus omnino veniæ manum, ad fontesque omnes pœnitentiæ, conscientiæque deducamus, ut loti retractationis aqua, lippientesque oculos inuncti doloris medicamento, aliquando discant meliora, ingemiscantque errasse. Tibi sit, & tuo gregi felicitas perpetua, Pastor æterne, & Pontifex sanctissime, per quem tempora nostra assidua pace latiora florescunt. Quod ut perpetuum & tibi, & nobis sit, Dominus ipse omnipotens misericorditer impartiat.

*In fine.*

## ALCINOI EPITOME DISCIPLINARUM PLATONIS

*Bessarionis Epistola ad Nicolaum Cusensem Cardinalem.*

CUM te intelligam, sapientissime, atque optime patrum, tum Aristotelis acutissimi doctrinam, ceterorumque prisorum philosophorum magnificere, tum vero divi Platonis sapientiam purgatissimam imprimis admirari; sæpe diuque mecumque cogitavi, suorumque documentorum aliquid in latinum vertere, & quod tibi gratum fore existimarem, tuo potissimum nomini dedicare. Itaque cum libellos meos nuper evolve-rem, Alcinoi opusculum quoddam repperi, in quo sub compendiaria miraque brevitate, opinio atque singula documenta Platonis attinguntur. Feci igitur, ut potui, hoc latinum; tua quidem fretus humanitate, benivolentiaque, quam semper erga me ostendisti. Quod si quid in eo aut mendosum, aut non bene positum reperies, tuo recto certoque iudicio corrigeres. Neque sane curavi in cunctis singulisque verbis, ut facillime videbis, antiquos imitari; sed illis potius usus sum vocabulis in plerisque locis, quæ his nostris temporibus in scholis philosophorum frequentantur. Putavi enim ad hunc modum orationem fore clariorem; præsertim cum peroptime sciam, tuæ tantæ sapientiæ res magis curæ esse, quam verba. Leges igitur velim hunc libellum, sapientissime patrum. Quod si tibi tanto viro, tanta doctrina, totque virtutibus donato cœlitus atque illustrato meus hic transferendæ labor dignus videbitur, ad ejusmodi cetera me deinceps quam maxime allicies, atque incitabis. Vale.